

Negativa præfertur.

30 Nihilominus oppositum magis videtur similius vero : nam Concilium probè nouerat Ordinationem talem non multò ante editam ; & tamen illius non meminit , vt iuxta ipsam Ecclesiasticum iudicium formaretur. Præterquam quòd à tempore Ordinationis dictæ anni fluxerunt iam plures , & maior in Indis capacitas deprehenditur , vt merito plus fidei debeat eorum dictis adhiberi. Et quidem respectu laicalis iudicij semper videtur discrimen aliquòd obseruari debuisse. Sex enim Indi vnum integrum testem constituunt , attentà eorum incapacitate & facilitate ad peierandum : ergo si capacitas supra communem sit , aliter est præcòd dubio sentiendum , quia dissimilium simile non debet esse iudicium , & à disparatis non fit eadem illatio. *L. Papinianus. D. de Minoribus.* Et Cap. *Ad audientiam , de decimis.* Sic cum matrimonium generaliter loquendo contrahi ante pubertatem nequeat , ea regula fallit , vbi maritalia supplet ætatem , iuxta dispositionem Cap. *De illis , de dispensatione impuberum.* Maior ergo capacitas diuersum ius statuit. Sapienter ergo Concilium Visitatorum arbitrorum istam committendam censuit , vt *perpendat quantum fidei talibus debeat adhibere.* Solerti enim inuestigatione falsitas testium detegi poterit , sicut & dictorum sinceritas coniectari. *Etenim circumspèctus index atque discretus motum animi sui ex argumentis & testimonijs , quæ rei aptiora esse compererit , confirmabit , vt ait Cælestinus Tertius in Cap. Præterea , de testibus , &c.* Pro quo est & Cap. *Cum autem* , eodem Titul. in quo Innocentius Tertius sic loquitur : *Ac eos diligenter examinare præcures : & de singulis circumstantijs prudenter inquirens , de causis videlicet , personis , loco , tempore , visu , auditu , scientiâ , credulitate , fama , & certitudine , cuncta plenè conscribas.* Hæc ille. Quæ si à Visitatoribus strenuè perficiantur , testificantium Indorum poterit depositiones quoad earum qualitatem explorare.

Cap. Præterea de testibus.

Cap. Cum autem eod. tit.

Concilij dispositio vt stare commode queat, cum Indorum testimonium non videatur admittendum.

Ratio necessitatis à Concilio relicta, que in causis alijs solè admittitur.

præsertim ex Cap. *Tam Litteris , de testibus , &c.* vbi sic dicitur : *Nos , vt tanta irregularitatis obiectio non remaneat indistincta , mandamus quatenus testes , siue laicos siue famulas , &c.* Verum si attendamus quòd statim sequitur , ex eo videtur ratio prædicta penitus informari ; sic enim ibidem : *Dumtaxat idoneos , qui ad hoc fuerint probandum inducti , recipiant legaliter , & examinatis prudenter.* Atqui Indi idonei non sunt , ipsius attestacione Concilij , cum asserat eos facile ad peierandum induci , & esse id notum. Vnde Dom. Solorzanus *suprà* , numer. 55. & in *Politica Lib. 2. Cap. 28. pag. 233. Col. 1.* ait quòd melius agi cum Indis videtur , si eis non credatur , quam si peierandi occasio præbeatur , propter iudicij infirmitatem , falsitatemque suspicionem , prout in simili disposuit Concilium Matiscouense *Cap. 21.* Pro quo & adducit Decretum Limentis Concilij , de quo agimus. Sed cum Decretum dictum eos à testificando non repellat , id tantum dicens , quòd vidimus , immeritò ad intenti probationem adducitur. Dicendum ergo Concilium ob urgentem necessitatem Indos ad testificandum esse admit-tendos decernere , quia ex solerti examinatione verosimile Visitator potest formare iudicium. Licet autem idonei non sint , si in indiuiduo singuli inspiciantur , eorum tamen numerus idoneitatem supplere potest. Quòd autem eis occasio peierandi præbeatur , malum est , quod propter bonum commune permittitur , ne grauissimæ causæ maneant indistinctæ , vt sacri Canones loquuntur. Et quidem feminas idoneos testes non esse habetur in Cap. *Forus* , de verb. *Significat.* Vbi sic dicitur : *Natura si vir , non si femina : nam varium & mutabile testimonium semper femina producit.* Sic ibi. Cum ergo ad testificandum accersuntur , occasio illis peccandi ministratur : & tamen admittendas Sacri Canones determinant , eà quam vidimus , reddidit ratione.

Cap. Tam Litteris de testibus &c.

Ex decisio-ne illius obiectio.

D. Solorz.

Cap. Forus, de verb. Significat.

De visitatione fabricæ & ornamentorum.

Parochos ad ornatum Ecclesiæ teneri.

31 Et hoc modo conuenienter stare potest Concilij dispositio , dum præfatis verbis , vt *perpendat quantum fidei talibus debeat adhibere* , additur : *Quos facile ad peierandum induci uotum est.* Talibus namque nulla adhibenda fides , vt colligitur ex Cap. *Testimonium , de testibus , &c.* vbi periturus à testificando repellitur , etiam si videatur emendatus ; cum tamen emendatis in aliorum criminum genere plus Canonice Sanctiones indulgeant. Hi namque , quos facile ad peierandum induci notum est , non plus merentur fidei quàm illi , qui aliquando peierarunt. Et videntur emendati : habitus enim , seu naturalis inclinatio , maius motuum suspitionis generat , quàm vnus actus eius , qui habitualiter affectus non est : cum vna hirundo non faciat ver , neque vnus actus vitiosum , iuxta doctrinam Philosophi. Si ergo fides non adhibenda talibus , vt quid ad testificandum admittantur ? Rationem reddidit Concilium ex necessitate desumptam , verbis illis : *Vbi necessitas exigendi testimonij , vrgens fuerit.* Ratione enim necessitatis admittuntur testes , alias non admittendi , vt constat ex pluribus Canonici iuris decisionibus , &

Concilium Trident.

Concil. Limentis 3.

ta. Concilium etiam Tridentinum *Sessio 21. Cap. 8.* de Reformat. iubet vt ab Episcopis , singulis annis , quæ ad Dei cultum spectant , visitentur , *curæque congruentibus remedijs , etiam per sequestrationem fructuum , vt quæ renouatione indigent aut restauracione , refricantur.* Est autem satis opportunum iuris remedium , vt Parochi circa diuinum cultum , aut alias delinquentes , suis sumptibus , quæ ad illum spectant , cogantur instaurare. Pro quo & extat Decretum Concilij Limentis *Terrij Act. 3. Cap. 14.* vbi statuitur vt defectus doctrinæ Ecclesijs Indorum debeat cedere : quando scilicet propter absentiam aliqua de legitimis stipendijs subtrahuntur : quamquàm & ibidem dicatur pauperibus oppidi posse distribui. Sed certè si Ecclesia pauper est , ita vt decenter in eà nequeant diuina peragi , omnium est prima inter pauperes computanda , quando necessitates tantum communes sunt. Quòd autem Ecclesijs In-

dorum sua sit assignata portio , nouena inquam cum dimidiâ , vt videri potest apud Concilium idem *Cap. 13. Actio citata* , ea , quæ diximus , non debet infirmare. Hic enim & nunc Ecclesia in statu paupertatis est , qualitercumque id obtigerit & ita hic & nunc subueniendum est ipsi , quæ sibi nequit ex legitime debitis subuenire. Præsertim quia cum portio dicta assignata sit , incurriæ Parochi adscribendum est , quòd ea non applicetur cum effectu , vnde ex hac parte non debet impunitus remanere. Et quidem cum videamus Parochorum plures Ecclesiarum suarum & fabricam & ornatum promouere in eisdem Proincijs , in quibus Ecclesiæ aliæ squalidæ & indecoræ cernuntur , fœcordiæ profectò Rectorum incommodum tale venit adscribendum , quibus viles sponsæ sunt , vnde ab illis deberent meritissimò remoueri. Nec plura de Visitatoribus , vt ad visitatos , Parochos inquam , trācamus.

TITVLVS XVI.
DE INDICIS PAROCHIS , AC PRÆSER-
TIM INDORVM.

Eorum tractationem alijs præmittimus , quia vbi res Indica præsertim agitur , quæ per illos præcipuè administratur , non debent locum postremum occupare. Et de Hispanorum Parochis non multa sunt , quæ peculiarem postulent discussionem , vnde illis præmissis , ad alios gradum faciemus. Sit ergo

CAPVT I.

De Parochis Indicis Hispanorum
peculiaria nonnulla propo-
nuntur.

S. I.

Circa notitiam lingue Indica , vbi notanda nonnulla de obligatione prædicationis in Parochis.

Aferio r. Parochos Hispanorū & Indorū horum linguam scire debere.

Dico Primò. In Parochijs Indorum , in quibus Indi etiam sunt , Hispanicum idioma non bene callentes , Parochi illorum linguam ita callere debent , vt circa illos possint quidquid Parochi officium exigat , exercere. Pro hoc facit aperte Cap. *Quoniam* , de officio Ordinarij , de ciuitatibus loquens , in quibus ciues diuersarum linguarum sunt. Sic etiam est Regijs schedulis cautum. Et iure quidem optimo ; quia alias inepti penitus erunt re-

spectus illorum. Et quemadmodum si linguam Hispanicam ignorarent , neuiquam possent pro Hispanis Parochi constitui , sic etiam de Indicâ linguâ dicendum. Videantur ea , quæ adducit Dom Solorzanus *Tomo 2. Lib. 3. Cap. 15. num. 76. & seqq.* & in *Politica Lib. 4. Cap. 15. pag. 632.* Fr. Ioannes Baptista in *Animaduersionibus pro Confessarijs Indorum* , fol. 213. num. 33. Illustriss. Zapatu in *Disceptatione de Iustitia distributina* , pag. 125. & 126. & res ipsa sine nouâ probatione indicat in hoc esse peccatum mortale absolute loquendo , vt citati cum alijs affirmant. Nec valet , si dicatur Parochiam præcipuè esse Hispanorum , & id , quod est præcipuum , attendi debere. Nam in primis negari id potest , quia in Indijs conuersio Indorum præsertim agitur , & ideo Parochorum cura ad eos debet præsertim extendi. Deinde etsi portio minus præcipua sit , ita ad eorum curam est obligatus Parochus , vt illis plenè prouideat , non secus ac si soli illi in Parochia versarentur.

2 Dices , posse per alios prouidere. Sed contra , quia ei , qui absolute non est idoneus in eo genere , de quo agimus , non agimus , non suffragatur similis exculatio , quòd scilicet per idoneos potest

Enasio ex eo quòd per alios possit prouidere , præclusa.

potest defectus talis suppleri. Sic in defectu scientiæ præcipue tradunt Doctores, pro quo videri potest Illustriss. Barboſa de Poſeſtate Episcopii Allegat. 63. Et quidem quæ Concilia, & sacri Canones determinant circa collationes Beneficiorum vt dignioribus dentur, nullius essent roboris, quia quod dignitatis defuerit, poterit per alios suppleri: ex quo fieret etiam indignos eligi posse, quia & illis tale suppeteret supplementum. Est ergo electio dicta ignorantis linguam aut irrita, vt volunt multi apud Dom. Solorzanum; aut irritanda, si electus non speretur conuenienti tempore illius notitiam & vsum adepturus, vt videri potest apud Fr. Ioannem Baptistam num. 34. vbi generaliter id statuit de indignis, & præsertim loquitur de ignorantia linguæ; addit tamen sic: Nota hoc pro Parochis populorum Indorum, nescientibus Indorum linguam: possunt tamen per alium providere, scientiam & peritiam linguarum Indorum habentem. Sic ille. Cuius doctrinæ aliquis insitens poterit arbitrari sine peritiâ linguæ Indicæ posse Parochum quempiam constitui, quando defectus ille per alium suppleri potest. Sed certè Auctoris illius alia est mens loquitur enim in casu, quo idoneus non indenitur ex ea parte; cum tamen aliastalis sit. Neque obici potest casum non habere locum, quandoquidem sunt alij, per quos suppleri talis defectus potest. Nam vel illi superueniunt post factam Beneficij collationem: vel si iam aderant, fortè non apti vt illis posset Parochialis cura demandari, quia præter linguæ peritiam multa alia ad id muneris exiguntur.

Fr. Ioannes Baptistam.

Quæ peritia linguæ in Parochis requiritur. Et in primis necessarium pro Conſeſſionis Sacramento & alijs.

Ex Ferdinando Zurita notanda doctrina.

Necessaria quæ ad prædicationem sufficiunt.

Concilium Tridentinum.

3 Cum ergo habiturus Parochialem curam linguam Indorum debeat scire, dubitari potest qualis illius peritia requiratur. Circa quod in primis dicendum eam requiri, quæ sufficiat ad Sacramentum Pœnitentiæ administrandum: quæ si habeatur, circa administrationem aliorum nulla erit difficultas: pauciora enim ad illa necessaria sunt, & breviori possunt instructione conferri, stante necessaria pro illis dispositione. Ratio est clara: quia hoc est, quod maximè spectat ad officium Parochi: vnde & defectus in illis valde substantialis est, vt communiter dicunt Doctores, & res ipsa clamat. Addit autem Ferdinandus Zurita in Enchiridio Indico Quæst. 5. Proposit. 2. ad ordinarium Conſeſſarij munus sufficere mediocrem linguæ Indicæ cognitionem, licet ignoret alicuius vocis significationem, dummodo omnia ferè percipiat. Quod est equidem notandum ad scrupulos remouendos, & ne Indis sapius cogantur peccata eadem confiteri. Deinde, talis peritia necessaria est, quæ ad instructionem generalem sit sufficiens in iis, quæ ad mores formandos pertinent, vnde & quæ ad prædicationem sit necessaria. Sic statuit Concilium Tridentinum Sessione 23. Cap. 1. de Reformat. omnia prædicta amplectens his verbis: cum præcepto diuino mandatum omnibus, quibus animarum cura commissa est, omnes suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbiq; diuini prædicationem, Sacramentorum administrationem, ac bonorum omnium operum exemplo pacere &c. Et quidem stante obligatione circa alia dicta, circa prædicationem non videtur locus excusationi superesse: notitia enim linguæ Indicæ ad illa sufficiens est vt è superiori loco possit Paro-

chus suos Parochianos instruere, si diligentiam aliquam præmeditationis adhibeat. Vnde experimento constat facilius prædicare eos, qui addiscendis Indicis linguis operam nauant, quàm in audiendis Conſeſſionibus expediti reperiantur. Pro qua obligatione clamat Synodus Diocesana Limentis Ann. 1614. Libr. 1. Tit. 1. Cap. 4. vbi singulare præceptum scribendi eonciones ad reddendam rationem habetur. Et pro eadem est celebris Sedula Philippi Tertij Regis nostri die 4. Aprilis Ann. 1609. formam statuens in Beneficiorum prouisione tenendam, de qua Dom. Solorzanus supra num. 14. ibi: Y de los asi examinados escogian los Arzobispos y Obispos tres los mas dignos, teniendo consideracion à la suficiencia de la lengua para doctrinar, y predicar &c.

4 Possunt autem quandoque id per alios idoneos præstare: quod iam olim Nicolaus Primus respondit ad Consulta Bulgavorum Cap. 106. sic dicens: nec enim curamus, quantum ad fidem nostram pertinet, qui prædicent, sed quem prædicent. Sic ille. Quod quidem ita intelligendum est, vt quandoque id fieri possit, non semper: sic enim Concilium Tridentinum intellexit Sessione 5. Cap. 2. de Reformat. ita loquens: Archiepiscopi, Presbyteri quoque, Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus sabbatis Dominicis & Festis sollempnibus, plebes sibi commissas pro sua & earum capacitare pasiant salutaribus verbis, docendo que sive omnibus necessarium est ad salutem: annuntian- doque eis cum breuitate & facilitate sermonis virtutem, que eos declinare, & virtutes, que seclari oporteat, vt penam æternam euadere, & celestem gloriam consequi valeant. Hæc Concilium, solum excusationem eorum admittens, qui legitime fuerint impediti, vnde constat alios generaliter teneri. Videntur Bonacina Tomo 2. Disput. 5. Quæst. vnica. Puncto 2. num. 19. & Disput. 6. Quæst. vnica. Puncto 8. & Diana Parte 6. Tract. 7. Resolut. 13. & quidem cum Concilium dicat id faciendum pro suo, & audientium capacitate, omnis videtur excusationi locus interclusus, nihil enim supra vires petitur, nisi velint officij obligationes supra vires esse, vnde illas, admittendo ipsum, subire minimè debuissent. Probat autem Ferdinandus Zurita supra Quæst. 26. prædicari posse etiam cum periculo fallum aliquid proferendi, per quod Indi in errorem aliquem inducantur. Quod quidem ad capacitatem referri potest, de qua Concilium loquitur, Nihilominus cautè accipiendum est, scribi enim conſeſſio potest, iuxta citatum Synodum, & Indi consuli circa id, in quo dubium erga significationem vocabulorum occurrit. Neque ex Episcopis argui potest, quorum plures numquam suggesta conscendunt; cum tamen docti sint, & timorate conscientia, quique omnes officij sui partes studeant adimplere: cum nihilominus iure diuino teneantur ad pacendas oues, etiam prædicatione, vt ex Concilio Tridentino vidimus num. præced. Ad hoc enim dicendum in Episcopis ita vtu receptum, quamuis non desint, qui rem hanc minimè scrupulo vacuam arbitrentur. Habent præterea graues occupationes, propter quas illis conceditur, vt per alios id facere possint, vt constat ex Cap. Inter

Per alios id fieri aliquando posse, non semper. Nicolaus I. Pont.

Concilium Tridentinum.

Pro modo citate linguæ Indicæ animaduersione.

Ex Episcopis non prædicantibus argui nequit.

Qui eos excusent.

Diana.

Posseuius.

P. Bauny.

Sibi non conſens.

Qui & resellitur circa alia.

Affertio 2. Hispanorū Parochos in Indijs ad omnia teneri, quæ generaliter Parochis incumbunt.

Et specialiter quodam titulo. Et ita debent.

cetera, de officio Ordinarij. Quod tamen in Parochis secus habet, vt est manifestum, & præsertim Indorum. Ex doctrina tamen quorundam videtur ea obligatio cessare, si in Parochia sint Concionatores. Sic Diana supra sibi contrarius, cum Trullench, quem allegat. Alij, quia in oppidis, in quibus Parochi sunt, adiunt Concionatores, qui frequenter ad populum verba faciunt dignè, & vtiliter, ac multò melius quam Parochi ipsi: tunc enim, cum facile sit Parochianis ad Conciones ire, si quæ sunt necessaria ignorent, illis est & non Parochis adscribendum. Sic Posseuius de Officio Curati Quæst. 3. Cap. 3. cuius doctrinam proponit, & videtur amplecti P. Bauny Tomo 1. Lib. 10. Quæst. 32. § 5. penult. & vlt. licet ex ipsius doctrina contrarium sequi videatur, cum ait Concionatores dictos ab Episcopis Substitutos, vt quod Parochi per se nequeunt, per ipsos faciant. Iuxta quæ Parochi, qui per se possunt, non videntur excusandi. Excusati autem à mortali idem Patet eos, qui inopiâ doctrinæ laborant; aut commeatum non habent ad alendum Concionatorem. Sic §. Primò, inopia. Sed certè non video quomodo id stare possit, cum Parochus sufficienter debeat instructus doctrinâ contenti: & vt num. præced. ex Concilio Tridentino diximus, non ad elegantem & politum dicendum, aut eruditionem conspicuum, teneatur, sed pro sua & audientium capacitate. Audient autem oues Pastoris sui verbum sanum, & irreprehensibile, iuxta Apostoli monitum proponentis, si illi grauitas morum, & vitæ exemplum auctoritatem præterea concilient. Et humano timore depulso vsus facilitatem conferet, vt multiplici experientiâ passim comprobatur.

§. II.

Obligaciones alie eorumdem Parochorum.

6 Dico Secundo. Hispanorum Parochi in Indijs sub graui reatu conscientia tenentur ad omnia illa, quæ de Parochis generaliter tradunt Doctores, pro quibus videri possunt Posseuius, Piascius, Zerola Summitæ verb. Parochus P. Bauny Tomo 1. Tract. 10. P. Fragosus Tomo 2. Libr. 10. Disput. 21. P. Cressolius in Mystagogo Libr. 3. Cap. 44. & seqq. P. Reginaldus, P. Fillucius, Lelius Zechius, Diana, Barboſa de Potestate Episcopii, locis, quos dabunt Indices, Hieronymus Garcia integro opere de Sacerdotio, Bonacina diuersis in locis, sed præsertim Tomo 2. Disputat. 6. Quæst. Vnica, Puncto 8. num. 4. & alij passim. Quod quidem expressisse oportuit, quia sunt aliqui res Indicæ alijs oculis adspicientes, vt scilicet ea, quæ alibi obseruantur, in illis debeant pariter obseruari. Cum sit profectò certissimum Indicos Parochos maiori debere virtutum exemplo fulgere, ob rationem superius inculcatam: quod scilicet in teris sint, in quibus de conuersione infidelij agitur, & de promouenda Christianâ religione, vnde ipsi præluere eisdem debent vitæ probitate, & obligationum suarum obseruatione constanti, atque Hispanis insuper, vt & illi pusillos non scandalizent: quod quidem agrè obtinebitur, si Parochos non habent.

beant, quorum monitis & exemplis ad moderationem vitæ formentur. Debent ergo, vt aliquid in speciali dicamus, Primò, Residere in Parochia, aut valde prope. Ex Declaratione sacra Cardinalium Congregationis. Pro quo Riccius Parte 4. Decisione 41. & Diana Parte 3. Tract. 4. Resolut. 156. Secundo, Non abesse præter spatio temporis iure, aut speciali licentiâ, iuri eidem conformi, permiffa. De quo Tit. 14. num. 4. Tertio, Prædicare, iuxta dicta §. præced. Pro quo & Limentis Synodus Cap. 4. citato. Quarto, Per se ipsos Sacramenta administrare: licet quandoque per alios possint. Videndus Diana Resolut. citatâ, apud quem alij; & dicta Tit. 14. num. 6. Quintò, Infirmis præsertim succurrere; neque post administrata Sacramenta eos penitus deserere. Pro quo Paulus V. in suo Rituali, & Concilium Limentis Tertium Art. 2. Cap. 29. vbi de extremè laborantibus, & Dom. Machadus Tomo 2. pag. 129. Docum. 23. Sextò, Ad dicendas Missas, Conſeſſiones audiendas, & concionandum, eos non admittente, de quibus sufficienter non constat idoneos esse & approbatos. Septimò, Eos, qui pagos incolunt, & tamen Parochiani eorum sunt, suæ curæ commendatos habere, vt & illi, quæ necessaria sunt ad salutem sciant, & quæ ad Christianam agendi rationem spectant, instruantur, atque ad eorum obseruationem excitentur. Et hoc supponit generale obligationem docendi omnes rudimenta fidei, de qua P. Fragosus supra §. 1. num. 2. vbi circa modum docendi puellas specialis instituenda ratio; in illis enim defectus iste magis solet errorum germina pullulare, cum factæ fuerint grauiorès. Octauò, Non exigere quidquam pro officij sui functionibus, præter id, quod lege aut consuetudine legitime præscripta est constitutum. Vbi horum nihil licebit pacisci: sed cum paterna moderatione, vt rigidi non videantur exactores. Nonò, Pauperum Parochialium specialem sollicitudinem gerere, quod specialiter in Concilio Tridentino iniungitur, cum de obligatione residendi agitur: Sessione 23. Cap. 1. Decimò, Libros Baptismi, Matrimoniorum, & alios habere, ex quibus id omne constet, quod ad commune bonum conducere potest. Idem Concilium Sessione 24. Cap. 1. & 2. de Reformat. Matrimonij. P. Thomas Sancius Lib. 7. de Matrim. Disput. 10. num. 13. Vndecimò, Celebrare Missam, quoties id ad officij rectam administrationem ita spectat, vt defectus in eo non leuis populo videatur. Varietatem opinionum videre licet apud P. Bauny supra Quæst. 12. Ad solos dies festos obligationem redigere est plurimos ex Parochianis consolatione maximâ, & fructu ingenti priuare, præsertim in sacratorijs temporibus, vt Aduentus, Quadragesimæ, Octauæ Corporis Christi, & si qua alia occurrant. Duodecimò, Non recipere stipendium pro Missis, quas celebrare tenentur, vt declarauit sacra Cardinalium Congregatio, & ita Diana quando est

1. Residere in Parochia.

2. Non abesse nisi &c.

3. Prædicare.

4. Per se ipsos ministrare.

5. Infirmis succurrere.

6. Non admittente in cognitos.

7. Docere rudimenta fidei etiam rusticis.

8. Gratiâ officium exercere, exceptis &c.

9. Pauperum cura.

10. Libros habere Baptismi &c.

11. Missam celebrare.

12. Nec stipendium pro ea accipere, quando est obligatoria.